

DE SEDVNORVM  
THERMIS ET ALIIS FONTI-  
bus Medicatis liber, auctore Casparo  
Collino Seduno.

**B**D V N O R V M diocœsis montibus horridis & inaccessis, niuibusq; per petuò rigentibus, ita undique uallata est: ut uix Rhodano uersus Orientem rapidissimo Europæ fluuio, orienti, uallemq; secanti, & ad Occasum in Veragrorum agros delapso patere uideatur. Quæ cum alijs quam plurimis mineralium metallorum tum fontium medicatorum abundet, propter duo tamen genera thermarum præcipue celebratur. Quorum alterum in Brigienti, alterum in Leucensi conuentu, siue (ut hodie nuncupant) Deseno, situm est. Quoniam uero hoc frequentissimum est ob eximias & singulares uires ab accolis in longinquas regiones diuulgatas, illud minus celebre, de eo priore loco dicendum existimamus.

Leucenses itaque thermæ à Leuca præcipuo huius Deseni pago nominatæ, duodecim millibus passuum à uictoriissima urbe Seduno (unde & populus nomen sumpsit) ad Orientem distant. A pastoribus pecudes suas æstiuo tempore illic pascentibus, uel ut alij, quibus magis assentior, à uenatoribus inuentæ sunt. Locus enim hic olim fuit horrendus difficultisq; aditu, nam ab Oriente clauditur glacie alta

## DE SEDVNORVM

et quæ habet fissuras profundissimas: à meridie habet montem inuum et inaccessum: ab Occidente uero nemora densissima et tenebrosa (ut ab his locis appellatus sit eorum idiomate **Sholsz** in thal/ id est, Vallis nemorum) saltus excelsos et riuum Dalam aestiuo tempore excrementem, ut uix suo contineatur aluco, et hac nunc iter est ad oppidum Leucam: à Septentrione adeo præruptum mon tem habet, ut accolæ et aliarum nationum homines, profunditatum non assueti, hunc ascendetes, et magis etiam descendentes, oculos propter uer tiginem capitis uelare cogantur, ideoq; monti ipsi quod non nisi cū crebris et maximis gemitibus fu peretur nomen inditum, **Gemmi**. Denique is locus erat in quo nemini habitare quam Hamadryas dibus, Nymphis et feris: accedere autem illis solis qui has insequerentur, liceret. Annis aliquot post elapsis, semitis à uenatoribus ostensis et tritis, cū propter ferarum copiam, tum maximè ob fontis utilitatem etiā alij incolæ sese eò contulerūt. Deinde de pastores haec uestigia secuti, illic pecudes suas pa scere, magalia, casasq; (ob accolarum aduentū, et quia syluæ herbarū fertiliſſimæ sunt) struere cœperunt. Quo uero tempore id factum sit non constat: turris tamen antiquissima iamq; ruinam minitans, euidentibus argumentis ostendit, ante aliquot secula haec accidisse. Hanc quidam constructam à quodam nobili viro cognomine Mans affirmant, contra uim prætereuntium militum: nam transitus fuit frequens postquam uallis inhabitari cœpit. Non  
quidem

quidem per eundem locum qua iam iter est, sed paulo superius, cuius viæ uestigia adhuc pauca suspensunt & uidetur. Mansus ille quisquis fuerit, postea propter dissensiones ciuiles, uel alias ob causas in Germaniam migravit. Sunt tamen qui ædificatam putent à nobili Antonio de Turre, siue ab eius maioribus, ut esset propugnaculum contra uim Bernensum, quorum opinio mihi non probatur. Nobilium enim de Turre iurisdictio ex altera parte montis Gemmij erat, ubi excelsam & munitissimam arcem extruxerant, nec usquam memorie proditum est, locum in quo hæ thermæ sunt, ad eos pertinuisse. Hoc autem tempore uallis exigua quidem, sed satis amœna, & aprica est, sylua illa densissima extirpata, soloq; exculto, & extuctis ædificijs (ut loci ratio fert) splendididis, sic ut ubique circum has aquas medicatas prata florentia collesq; uirentes appareant.

Fontes sunt quinque præcipui, diuersis in locis scaturientes, atque ab Oriente in occasum effluentes. Quorum primus & maximus ad molam impellendam sufficiens esset, oritur in publica uia, ubi saxum ingens superimpositū est instar mensæ. Hic in tres partes siue canales deriuatur: duobus incole ad usus domesticos, & præcipue abluedas uestes aliasq; res utuntur: tertia uero pars in maximū lauacrum defluit uiginti forte & centum pedū circumferentiam habens, quod ex utraque parte tecum habet, binis columnis impositum, aliqua tamen parte sub dio relicta, ab Oriente in Occi-

turrit, huic albus lapis increscit similis colore & gustu calci. Lapidem conficit latum in canalibus, cuius due partes uidelicet, superior & inferior rubrae sunt, interior alba. Præterea harum thermærum aqua turbida cernitur, in alborem uergens, quasi calx, mense Maio tribus uel quatuor diebus, reliquis uero anni partibus limpidissima. Quare hac anni parte Seduni præsertim ea utuntur, quia arbitrentur (ut reuera est) eo tempore saluberrimam. Et præcipue si Aprilis & Maius squalidi & calidissimi fuerint: quoniam ut plantæ tum in suo uigore sunt, sic & mineralia existimantur florere.

Aegritudinibus autem quam plurimis hæ thermæ medentur. Cum æs siue cuprum medium quasi sit inter Solem & Lunam, Veneriq; attributum (ut Chymistæ asserunt) calidum & siccum in tertio gradu, atque ideo calefaciat, resoluat, absterget, exiccat, stipticet, & incarnet, frigidis maxime & humidis morbis conferunt. Calx autem qua certo tempore abundant ut supra dictum est, calida et sic ea ad quartum gradum, quamvis aliquam esse minoris caloris & siccitatis quidam tradant: tamen omnis calefacit, exiccat, abstergit ut æs, at proprium habet quod maxime mordicet atque mundet, quapropter carnē putridā in vulneribus (præsertim Maio mense) non sinit crescere. Ratione igitur horum mineralium quibus morbis medeantur hæ thermæ, ac quibus obsint & noceant, ex uia & natura earum colligi potest. Nam si calefaciant, exiccant (quod commune est omnibus thermis pro ra-

## DE SED N O R V M

tione materiæ eiusq; qualitatis quam percurrunt  
& uires hauriunt) astringant, mordicent, irru-  
det, & incarnent, et si remissius quam mineralia, se  
quitur contra morbos frigidos & humidos ualcre.  
Contraria enim (ut inquit Medicorum facile pri-  
ceps Hippocrates) conirarijs curantur. Omnes ita  
que corporis partes perquiremus, & quibus moto-  
bis in unoquoque membro accidere solitis hæque  
auxilientur enarrabimus.

Principibus uitæ partibus confert, ut cerebro,  
cordi & hepati: cerebro quidem ex frigido humo-  
re nimio laboranti, unde Catarrus & aliæ species  
Rheumatis, branchus & Coriza, oculis caliganti-  
bus & lippientibus, auribus, ori, tonsillis, & Vue-  
succurrunt. Cor autem languescens roborat: sto-  
macho & facultati concoquenti debilitatæ maxi-  
mè prodest, & appetitum edendi excitat. Hepatis  
cis doloribus opem fert, debilitati pulmonis, Asth-  
maticis, spleneticis, uoluulo, & Nephreticis conue-  
niunt, hydropis species omnibus auxiliatur. Ven-  
trem soluit pota, sed stranguriam mouet. Utetum  
mulieribus languescentem confirmat, calculosos  
& febres sanat, & colica passione laborantibus os-  
pitulatur. iuncturarum languoribus ut Ischiadicis,  
podagrericis & spasmo medetur, neruos contractos  
laxat, & roborat: his qui destituuntur usu mem-  
brorum, atque alijs partibus neruosis, ut paraliti-  
cis succurrit. Initium lepræ curat sanguinem puri-  
ficans, ramici & illis qui laborant calculo uesice  
conuenit. Consolidat ossa confracta, laßitudinemq;  
tollit.

tollit. Ulceribus malignis tibiarum, fistulis, & alia rum partium corporis apostematibus, scabiei cuiuscunque generis ex frigiditate prouenienti, & impetigini medetur. Vulnera non bene cōglutinata & sanata aperit, purgata mundataq; à sordibus & carne putrida, consolidat.

D E B R Y G E N S I V M  
Thermis.

Brygenses thermæ à Bryga præcipuo huius Deseni pago, sic appellatæ: à quo mille & quingentis passibus dstant, uersus Occidentem. Sitæ sunt autem loco satis aprico & fœcundo, alnisq; olim abundanti, quem Rhodanus percurrit à Meridie: ab Oriente & Occidente pratis uiridibus, & uitium pergulis, segetibusq; lœtis cinguntur, à Septentrione ad radicem montis Mundt: petroſi quidem in ascensu, quem si quis deuicerit pascuis, arboribus fructiferis, & annona uberrimus apparet. Hic olim fons balnearum scaturiebat, tepidus ob commixtionem aquarum frigidarum sub ijsdem scopulis emanantium, & ea de causa tempore hyemis inutilis existebat: æstate uero lacum quendam paruum conficiebat, in quo accolæ sordibus labore & sudore acquisitis, se lauare & purgare solebāt. Tempore uero labente, natura & ui aquarū longo usu & ex perientia cognita, circa 1471. annū, Antonius Vualcker publicæ utilitati studens, magistrum adjit, ab eoq; (quoniam in loco publico efflue-

## DE SEDVNORVM

ebulliendo particulæ alumini scissili similes emittit & profert. Glacius eius hyemis tempore flavi aut subrufi est coloris. Ambo eiusdem saporis sunt, astringentis & cuprei. Hic fons à multis accolis paulatim uisitari cœpit: experientiaq; edocti, ac sauitati pristinæ restituti, uires eius eximias ab Opt. Max. conditore datas, crebris sermonibus prouulgavit, sic ut 1557. anno frequentissimus fuerit. Referunt quidam si quis de eius inuentore sciscitur, Scholasticum quendam vagantem, nostramq; Sedunorum dioecesim peragitantem, in Rhodano eius aqua inspecta, uim fontis cognouisse atq; indiscasse. Sed hæ aniles sunt fabulæ, quibus antiquitas multum tribuebat, & adhuc posteritas patriziat. Huc maxima pars hominum quotidie confluit, & ignarum & stultum uulgas postquam sobrium ieiunumq; longinquo arduoq; itinere, & morbis confessum aduenit, bibit & ingurgitat se, donec (ut sic dicā) fauces attigerit. Frigidissima etiam aqua fontis quidam totum corpus, quidam aliquod tantum membrū uel partem affectā, postquam abluerint, hausta manibus aqua, non enim ingrediuntur, ignem ex fruticibus rosarū alpinarum construit (locus enim hic nullo genere arborū consitus est) adsidet, uiaticū pro facultate rei ex faculis & percisis suis promit, atque caseos duros, pingues ac molles, recoctamq; ueterem assant, saepius plenos haustus fontis miscent, nullam enim facietatem aquæ se sentire dicunt. Facto tam lauto & celebri conuiuio, lagenulas suas implet & redditum parant. Ita simplex

Simplex populus marcescit, & minori cum utilitate dono Dei optimo fruitur, nam post potum erat iejunandum ad aliquot horas, donec aqua operata esset, & non impedimentum in interna præsertim corporis parte, addendum, quo concoctio impediatur. Ventrem laxare, à materia quacunq; interna purgare, oculos caligantes ob quamcunq; causam sanare, & alias membrorum partes restituere fertur. Principiū hidropis curat. Non sentit quantumvis aliquis biberit. Febrientibus tamen non prodest. Itaq; ex his & sapore ualde astringenti coligo, uenam illam per quam hæc aqua fluit, cupream esse, cum maxima participatione Solis (ut Chymistæ loquuntur) quæ in tertio exsiccantia, in secundo gradu et ratione auri solutiua maxime sunt: Ochræ aliquam etiam particulam habere, quum hyemis tempore glacies sub ruffa uideatur: tum etiam alumén scissile, schistum uocant. Ex quibus omnibus coniicio ualere, si eo rectè utamur, contra omnes morbos, frigidos & humidos astrictione indigentes, ut Catharrum, branchum & Corizam, caliginem oculorum si ex humoribus frigidis cerebri procedant.

Alter fons in ualle Sas prope uicum et templum, Vispario interfluente, in pede montis prærupti scaturit, rubensq; riuis (Germanicè der rot bach) ab inhabitantibus appellatur, quia lapides inieoti, rufo colore tingantur, & terra eius coloris sit quam suo delapsu attingit & conspergit. Tepidus hic fons est in scaturagine, & tepidior fuit

DE SEDVNORVM  
DE FONTE IVER= dunensi.

PROPE Iuerdunum oppidum uetustum, ad radicem montis lurae situm, fons fuit olim celebris, sed temporis iniuria & hominum negligencia iam exoleuit, ut uix aliquod uestigium reperiatur.

PRAECEPTA SIVE LEGES communes balneandi.

IN quocunq; cupis medico te fonte lauari,  
Vt tibi proficiat disticha parua lege.

1. Quo melius ualeas leges seruare medentum,  
Non tibi purpurei desit arena Tagi.
2. Ante tuum corpus prescripto tempore purges,  
Quam tu paeoniae ingrediaris aquas.
3. Nec primùm ueniens totis utere diebus.  
Omni sed fugiens hora sit aucta die.
4. Non nimium caleas, nec te mala frigora ledant,  
Tempore membra laues conueniente tibi.
5. Dumq; salutifera feruens immergeris unda,  
Pertingant fauces nulla alimenta tuas.
6. In ualidum certa corpus ratione gubernes,  
Quin etiam morbi maxima cura tui.
7. Lotus ubi egredieris calido uelamine cinge,  
Non frigus noceat, transeat aura poros.
8. Cinctus ubi exieris madeas sudore fluenti,  
Et dormire queas, tegmina plura cape.

Membra

Membra leuans, tenui sudorem abstergito tela, 9.

Ire lubet: modicè pocula sume, cibos.

Quæ natura cibi, et quantū, meminisse iuuat: quæ 10.

Thermarum uires impedijſſe solent.

Nec prius ingrediare nisi hunc concoxeris, antē 11.

Fercula sumpta tibi nulla pericla ferant.

Et Venus enruat corpus, mentisq; uigorem 12.

Opprimit, admonitus plurima damna caue.

F I N I S.